



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Quid sit bonum opus. tit. 155

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

QUID SIT BONUM OPUS  
TITVLVS CLV.

**R**ia sunt notanda. Primum, quid sit bonum opus: Secundò, cur Deus præcipit nobis bonà opera facere cùm non indigeat: Tertio, Qui sunt fructus & præmia bonorum operum. Primum, bonum opus dicitur, quod in fide & dilectione Christi est factum. Nam licet homo peccator sit, quia tamen fides purgat arborem, id est, cor, Actor. 15. & dilectio sanctificat, nam odium inquinat, 1. Ioannis 3. Qui odit fratrem, homicida est, sicut erant opera Abelis & Cain, Genesis 4. Ideò hoc opus quod in fide & dilectione proximi fit, Deus acceptat & pro bono opere & sacrificio, quod illi facimus, reputat. Hebræ. 13. Talibus enim hostijs &c.

Secundò, licet Deus non indigeat bonorum bonorum, nec etiam opera sua dignitate nos saluent, sed sola victima Christi, Esa. 53. & 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: attamen quoniam Deus sic vult per talia media, id est, fidem, dilectionem, bona opera distribuere gratiam Christi, ideò sua hæc voluntas sufficiens causa est, cui obedire debemus, tamen non propter opera tanquam causam dispensat suam gratiam, interim tamen non sine illis, ut medijs vult dare regnum, sicut dicit Matthæi 23. Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Ideò fides non abolet legem, quoad obedientiam, sed statuit, Romanorum tertio. Vult ergo Deus à nobis fieri bona opera, obedientiam legis suæ, & in hunc finem etiam dat Spiritum sanctum adiutorem in Baptismo, ad Tit. 3.

Tertio, utilitates bonorum operum sunt variæ secundum gradus operum. Nam licet Deus nobis nihil debet, Lucæ 17. attamen quoniam ipse ex mera misericordia



sericordia promissit coronare dona sua propter Christum, ideo habent diuersa præmia in præsentem & futuro, sicut stella differt à stella in cælo, 1. Corinth. non tamen nos statuere debemus quantitatem præmiorum, sed hoc relinquere Deo, scientes quoniam remissionem peccatorum, donationem Spiritus sancti vitam æternam habemus propter solam Christi victimam, & non propter opera nostra. Subinde quoniam credimus promissioni diuinæ, quæ ex misericordia promittit præmia, Matth. 19, Luc. 19. quartum Petrus, Domine, nos relinquimus omnia, &c. Ideò, & illi hoc totum committimus. Noli ergo contendere & dicere, hoc opere merui remissionem peccatorum, per hoc vitam æternam: sed nesciat similitudinem quid faciat dextra, Matth. quinto, Noli tu appreciari dona Dei, sed viue in spe misericordie Dei, ipse omnia abundanter recompenfabit, iuxta illud. Merces vestra copiosa &c. Nos solum operum necessitatem pensare debemus, quia Deus præcepit illa facere, cui obedientiam debemus, quia Deus præcepit illa facere, cui obedientiam debemus, Matth. quinto, Luceat lux vestra &c. Et tertio, Facite dignos &c. nam si secundum carnem vixerimus, moriemur, Rom. 8, 1. Corinth. 6. Galat. 5,

Secundò, opera impetrant ingentia præmia, videlicet, qualia describuntur Deut. 28. Leuit. 26. Exod. 20. hic & in futuro. Secundò, pœnarum mitigationem. Sic opera Niniuitarum, Ionæ 3. augmentationem bonorum temporalium, sic lecythus olei, 3. Reg. 17. & hydria farinae viduæ non defecit, 4. Reg. 4. Quartò, media sunt, quibus nos Deus inducit ad possessionem vitæ æternæ, Matth. 25. Venite, possidete. Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur &c. Heb. 6.

*OPUS BONUM HOMINIS*  
*peccatoris quomodo potest dici & esse bonum.*  
 TITVLVS CLVI. Opus